

DISPUTATIO ETHICA

De

MANSV'ETUDINE
&
VIR TUTIBUS HOMILE-
TICIS.

Quam

DEO DUCE & AUSPICE

Ex consensu Venerandæ Faculta-
tis Philosoph. in Acad: Aboensi,

S U B P R E S I D I O

M. AXELII KEMPE
Acad. Biblioth:

Discutiendam exhibet

ISAACUS JOH: COLLINUS

In Auditorio Majori ad diem Novem-
bris. Anno 1655. horis locoq; solitis

A B O Ä,

Excusa à PETRO Hansson Acad. Typog.

VIRIS

Reverendis, Clariss: Venerabilibus, Prae-
stantiss: Humaniss: ac Doctissimis:

Dn. Johanni Ambrosij past: in Pâlkâ-
ne Dignissimo, Patri Charissimo.

Dn. Andreæ Christoph. Pastor in
Hauhä Meritissimo, Mecænati suo quovis
honoris cultu æternum prosequendo.

Dn. M. Gabrieli G. Thauvonio, Pasto-
ri arcis Croneburgensis ibidemq; Scholæ
Restori per vigili, ut Faurori ac benefa-
ctori suo indubitato, ita omni honore per-
petim colendo.

Dn. Arvido Joh: Rothovio Verbitini,
stro in Pâlkâne Vigilantissimo, Faurori
ac amico suo certissimo.

Dn. Laurentio Pauli, Diacono in Jâms-
jö Fidelissimo, Faurori suo amico indu-
bitatissimo:

Dn. Paulo Johannis Collino, Comini-
stro in Pâlkâne per industrio, Fratri Di-
lectissimo.

Exercitium hocce Academicum debitæ ob-
servantia & gratitudinis declarandæ er-
go reverenter & officiose litat & offert

Isaacus Joh. Collinus.



SECTIO PRIMA

De

MANSVETUDINE.

P R A E C E P T A,

I.

Mansuetudo est virtus sive probitas circa Iræ & Vindictæ moderationem occupata.

2. Extrema ejusdem sunt: in Excessu Iracundia, in deficitu Lentitudo.

3. Iracundia improbitas est modum in irascendo excedens.

4. Lentitudo vitium in irascendo deficiens.

E X P L I C A T I O N E S

Ad Praecepta in genere.

Iram affectum & vitium ex omnibus maxime tetrum esse & rabidum nemo est qui ignorat. Sane ab insanis parum distare nec nisi temporis exigui-

A

tate

tate adseverat Lyricus. Nec si habi-
tum intueris à vero aberravit. Namq;
ut furoris sua sunt certa indicia, ita &
cerebroſi animi notas videre est, mi-
cant flagrantq; oculi, rubent ora, stri-
dunt dentes, quatiuntur labia, & nesci-
o quæ alia male sanæ mentis signa a-
bundè prostant. Quos vero fluctus mo-
veat hic æstus, in turbido hoc vitæ fa-
lo, longa dies docuit & loquitur testis,
temporum historia, adeo ut satis con-
ſet nullam pestem humano generi
pluris stetiſſe. Hinc odia succreverunt
cædes & venena: hinc urbium clades
& exitia gentium extitere. Iracundi-
a invictum lancinavit Alexandri robur
fregitq; : Clitum egregium bello virum
hasta transfixit intempestiva ira; Ira &
crudelitas & Callistenī fuit exitio, &
Medico, segnius forte curanti Hephe-
ſtionem, crudele paravit suspendium.
Et quid non immanis hæc rabies, suo
fulta tibicine parata & prompta est mo-
liri? Quanto majori laude vehenda ni-
ſi omnem ferme prætergressa sit cle-
men-

mentia & placabilitas, quæ feram hanc
domando & coercendo obicem figit,
ne in nervum vis mali erumpat, illa di-
vina virtus est, qua, teste Tullio,
Viro magno & præclaro nihil est dignius, a-
deo ut & hanc vocem elicuerit Senecæ,
Nihil magnum quod non & placidum. Hæc
ipsa dum sævitiam cohibet Regibus
folia firmat, dum haud cuncta ad de-
mensum exigit: amicitiam & concor-
diæ cœteris conciliat. Hujus proinde
vultum subire pretium erit, & spiri-
tum quem reciprocat haurire ta-
luberrimum..

Ad I. Præceptum.

Mansuetudo (Græcis πρᾳότης
alias Lat. Clementia, gratia, lenitas, pla-
cabilitas, moderata severitas &c. quæ
quidem voces fere æquipollent quan-
quam non tam generalem hujus virtu-
tis naturam semper, quam specialem
eiusdem conditionem exprimere vide-
antur) h. l. non denotat generaliter,
quod quâcunq; ratione mansuetum est

& cīcūr factum, qualitēr fero & indomito opponitur: Nec pro lentitudine altero extremo sumitur, sed Virtus est & probitas inter extrema medium servans. Pro *objēcto interno*, Iram affe-
ctum illum vehementissimum & tur-
bulentissimum agnoscit, quem *Scaliger*
appellatum depulsionis nominat, Exter-
ne circa omne id occupata quod iram
& indignationem provocare possit &
ad vindictam instigare ut sunt: *Injuriae,*
dimissas, offensiones, contumelia, convitia, &
horum omnium pænae, quas moderari
est mansuetudinis. Quod ut legitimè
fiat & congruentē recte rationi, causæ
ob quas irascimur & circumstantia dili-
gentēr observandæ sunt. Nequè enim
ob res, rationesq; leves & incertas irasci
convenit & excandescere, quod puerorū
& mulierum esse Parmeno vult a-
pud Comicum; sed graves sint causæ, cer-
te ac manifestæ: quales eversio & violatio
cultus divini, salutisq; publicæ, Læsio vitæ,
bonorum, famæ & existimationis, tum nos-
trætum nostrorum &c. Neq; quibusvis
sine

sine discrimine irascendum est, ut poterit
rebus inanimatis, brutis, & mortuis, quibus
nec sensus nec proæresis inest; non bene
de nobis meritis, superioribus, Magistratu,
praceptoribus, &c, quos ob sua in nos me-
rita, cæteris tamen paribus, venerari
potius, & amare oportet; Verum homi-
nes merito averiamus malos & improbos
quos sceleris nec pudet nec pœnitit;
ita tamen ut vitium ipsum vehemen-
tius, quam ipsam personam deteste-
mur. Modus porro iræ faciendus est, &
vindictæ, ne videamur imitari apes, quæ

- - - animis iuveni vulnere ponunt -

Magisq; duci rabie & furore quam
consilio. Atq; sic & nobis ipsis male
consulere, & proximo, de quo vindic-
tam meditamur. Eleganter n. Seneca
ait: *Iram ruinæ similem esse que in aliud ca-
dendo se ipsam comminuit & frangit.* Quod
ne fiat optimum censetur tempus lucra-
ri, sibiq; persuadere horam vindictæ
nondum adesse. Hinc Poëta:

- - ne frana animo permitte calenti

*Da spacium tenuemq; moram: mala cuncta
ministrat*

Impetus.

Quantum ad rationem temporis & loci, ira non sit diurna, ne in odium degeneret. inconveniens n. est, teste Aristotele, ut cum homo mortalis sit, immortalem gerat iram. non tarda in gravioribus & apertis: nec *festina* nimis in levioribus delictis aut minus liquidis. Absit a serijs consultationibus, convivijs & alijs locis gaudio destinatis. Quæ omnia qui rite observat, quod tamen difficultum, officium Viri Mansueti expleuisse jure existimandus est.

Ad III.

Aliud ira est, aliud iracundia: illa affectus cum vindictæ cupiditate audit ex contemptu nostri & nostrorum ortus; Ista pars quædam *improbitatis* sive habitus vitiosus est. Ira Cos quædam fortitudinis, & proinde licita & laudabilis ad magna aggredienda excitans;

Iras

iracundia vero illicita semper & illaudata, mala non pauca in humanam importans societatem. Hujus tres species ex Arist: recensent Autores, quarum prima ἀνεργοχολία, i. e. *Excandescens* dicitur. Altera πικρότης, *amarulentia*, Tertia βαιρυμψια, *Seruitia*. *Excandescentes* sive *stomachosi* dicuntur, qui facile, & subito & vehementer irascuntur, quia tamen aperti sunt iram cito depo-nunt: *Amarulenti* qui tardè quidem irascuntur, sed iram diu pertinaciter & occultè fovent, donec vel vindictam exercuerint, vel si id consequuti non fuerint, temporis diuturnitate iram concoixerint, & hi deteriores. *Crudelitas* vero deterrima, iracundia est pertinax & non nisi ultione sumpta placatur, quorum vitiorum exempla passim extant & experientia quotidiè suppeditat.

Ad IV.

Lentitudo sive iræ vacuitas qua quis neq; justis de causis, neq; ijs qui-

bus tenetur, irascitur; 'conjunctionem habet nimiam patientiam', ac fatuitatem non raro. Unde abjecti & servilis ingenij tales existimantur, ad publica munera Reipub: inepti, utpote ex quorum convenientia nimia, sequatur morum dissolutio & consequenter Reipub: interitus. Hinc verè Fronto: *Malum esse sub tali Magistratus vivere qui nihil, pessimum vero sub eo qui omnia permitteret.*

Q UÆSTI O N E S.

I. An ira omnis promiscue sit in vitio? Neg.

Iram omnem extinguere & extirpare velle Stoicorum ostentatio est, limites potius apponendi sunt quo usq; & quam diu. Unde Cicero, *Virum non videri qui irasci nescit.* Oracula divina sonant: *Irascimini & nolite peccare.* Exempla Sacra ostendunt nonnunquam justis de causis esse justam, ut Moys, David &c. Ipsi insuper Deo T. O. M. ira tribuitur cui vitiosum quid tribuere sumnum esset nefas, Quid? quod affe-

affectus sit naturalis ira, & proinde in
se & Physicè haudquaquam vitiosa.
Rectè ergo hic distingvunt, inter *iram*
quatenus est affectus, & *iracundiam* quæ
habitus vitiosus. Inter *iram temerariam*
quæ ex ultionis appetitu sola dimanat;
Et *justam indignationem* adversus impie-
tatem, & malitiam hominum, inter *Moderatam Iram* & *immoderatam*. Inter *Vi-
tium* & *Naturam*. Inter *præcipitantiam*
& *legitimum ultionis modum*. Quibus ob-
servatis non difficile est profligare quæ
in contrarium adferuntur rationes.

II. At *injurias vindicare & dam-
na illata estne licitum?* R.

Quid ni ab exemplo Jehovæ &
mandato qui & ipse punit *injurias* &
peccata, atq; per Magistratum puniri
jubet. Non enim sine causa *Magistratus*,
teste Apostolo, gladium portat: Dei mi-
nister est *vindex in iram qui male agit*.
Unde præmia & poenæ censentur vin-
cula quædam Reipublicæ quibus laxa-
tis nec rite applicatis, disciplinam cor-

rure necesse est, & securitatem tam publicam quam privatam. Sed hic teneatur distinctio inter vindictam publicam eamq[ue] moderatam de qua hic sermo; Et privatam, qua quis sibi ipsi jus dicit, & proprio ausu, citra necessitatem inscio Magistratu, sive superioribus, injuriam vindicat. Ista legibus consona hæc dissensa est.

III. Quomodo differt mansuetudo & clementia? R.

Quanquam intersit Reipublicæ ne maleficia maneant impunita, ut habet Regula Ictorum, distinguunt tamen Dd. Inter iram sive iracundiam quam justus excusit dolor, & quæ ex levissimâ causâ sive vitio naturæ existit. Ista poenam mitigare consetur, Hæc vero poena ordinaria pleñenda est. Videantur Icti.

VI. An iracundia capitaliores inimicitias gerat cum mansuetudine quam lentitudo? Aff.

Mansuetudo quippe iram frænat & cohibet, quod commune est cum lenitu-

titudine. Iracundia vero præceps est
& fræna laxat, unde à mas' vetudine lon-
gius recedit, ac proinde & deterior len-
titudine, utpote quæ frequentior & ad
convictum vitæq; societatem minus
accommodata. Quanquam & lentitu-
do sæpè non minora accersat mala Rei-
pub: imprimis si Magistratui & prin-
cipibus viris comes adhæreant.



SECTIO SECUNDA

De

VIRTUTIBUS HOMILE- TICIS.

PRÆCEPTA.

I.

Virtutes homileticæ tres sunt, Veraci-
tas, Comitas, & Urbanitas.

2. *Veracitas* est quæ in exprimenda
convenienter veritate est occupata.

3. *Veritati* in genere adversatur
Mendacium, quod est falsa vocis si-

gnifi-

gnificatio cum intentione fallendi.
Specialiter vero in Excessu Arrogan-
tia, in defectu Dissimulatio.

4. Comitas est virtus homiletica in
conversatione seria honeste oble-
ctans.

5. Ejus extrema sunt, in Excessu
Assentatio nimium placendi studium,
in defectu Morositas, qua nemini
placere cupimus.

6. Urbanitas in ludis &c jocis decen-
tiam observat.

7. Excessus Urbanitatis dicitur scur-
rilitas modum excedens in jocando
& ludendo; Defectus Rusticitas quā
nec ipse quis jocari possit nec alios
jocantes ferre.

EXPLICATIONES

Ad præcepta in genere

Man-

Mansuetudini jungimus ob affinitatem Virtutes homileticas, quibus ceu pulcherrimis flosculis humana coronatur societas, quarumq; usu & fructu vita hæc caduca destitui nequit. Omnis quidem virtutis apparatus tertium hunc Deum exornat. Elegantia verò morum ex his pullulat fontibus & conversationis decorum maxime instruit. Prudentia quippe in ejus moderamine & egregiam præ se fert morum commoditatem, & ad negotia, tum publica tum privata commode administranda, non parum momenti ad fert. Ac veluti actio in oratoria professione (licet sit externum quid) aliis partibus præponderare dieitur, sic & conversatione ejusq; regimen (utcunq; in exterioribus occupetur) in vero ciuili si non sumum at certe eximum locum invenit. Incredibile dictu, Cicero ait, quantum conciliet hominis comitas suavitasq; nostrorum. Verum sicuti neglectio in his supina vitanda est, ita curiosa nimis in

cere-

ceremoniis caveatur affectatio. Quid enim magis deformis quam scenam invitam transferre? *Medio turissimus ibis.* Adeoq; summa & compendium decori, in eo ferme situm esse constat, ut quasi æqua lance & propriam dignitas tem & aliorum æstimemus & tueamor. Quod & Livius expressit: *ne (inquit) aut arrogans videar aut obnoxius; quorum alterum est alienæ libertatis oblivisci alterum suæ.*

Ad I. Præceptum.

Circa sermones & actiones quæ in hominum congressu & quotidianæ vitiæ consuetudine solent adhiberi, spectatur præcipue vel Veritas & Falsitas, vel jucunditas & modestia & hæc quidem in conversatione seria vel jocosa. Unde tres hæ virtutes ὄμητειν dictæ resultant. Quarum prima veritas sive potius Veracitas appellatur, aliis candor integritas & sinceritas. Secunda Comitas, quæ & Affabilitas & humanitas. Tertia

tia, quæ jucunditatem in jocis spectat,
Urbanitas.

Ad II.

Quandoquidem ambiguitati cum errore intercedit affinitas, attestante *Scaligero*, ea primum evolvenda est. Veritas ergo nobis hic loci non sumitur directive & ὡραίων τινῶν, quomodo omnia instrumenta Logica ad veritatis inquisitionem destinantur: Nec Σεωργτικῶς & Metaphysice, quæ est conformitas rei & intellectus; sed σρακτικῶς & Ethice, quæ magis propriè veracitas dicitur, & est congruentia oris & cordis, qua id quod corde sentimus etiam ore, verbis, factis & gestibus externis exprimere studemus. Atq; sic spectatur vel ὥμαρικῶς qua profertur, & dicitur eandor: Vel πραγματικῶς qua prolata præstantur & ita dicitur fides, quæ Authore Cicerone est dictorum conventorumq; constantia, ad quam & taciturnitas non incommode referri potest. Est ergo

vir probus verax sed ita ut simul sit
prudens, ideoq; non tenetur semper & u-
biq; neg omne verum dicere, si vel maxi-
me partem veri dicat. Exemplo Athana-
sij fugientis secundum amnis cursum suos ad-
versarios, qui dum imminere magis magisq;
viderentur, factum est Divinâ quadam pro-
videntiâ ut navicula quâ vehebatur Atha-
nasius conversa obviam iret hostibus inse-
quenibus. Illi vero rati Athanasium hâc
cymba, quæ ipsis occurebat haud vehi, com-
pellant ibi sedentem: Numquid vidisti Atbas-
narium prætervectum; Respondit Athanas-
sius: Modo huc ibat. Est præterea & ta-
citurnitas eximia virtus, cuius leges
sicut & conscientiæ, violare non decet
neq; fas est. Quædam a. vera propa-
lare licitum, sed iis, quorum interest,
exigentibus, & Magistratui legitimè
præcipienti. Alia omnibus promiscue
& sine cautione citra tamen garrulita-
tis vitium, ebuccinare concessum est.
Quæ omnia veracitatis & prudentiæ tem-
peramento moderanda sunt, hoc est

quod

quod innuit Salvator, Estote inquit, prae-
dentes sicut serpentes, simplices ut columbae.

Ad III.

Ad mendacij constitutionem duo
cum primis requiruntur, & voluntas dicen-
di falsum, & intentio sive animus fallendi.
horum alterutrum si absit non est men-
dacium ut autem id quod dicitur sit fal-
sum non est necesse, potest enim quis
verum dicendo mentiri, & vice versa,
si nimisrum se falsum dicere existimet.
Genera Mendacij, praeter id quod ex
mera vanitate & libidine mentiri-ndi
fluit, vulgo tria sunt. *Iocosum* mendaci-
um ad delectandum comparatum eit,
officiosum ad juvandum se vel alios. *Per-*
niciosum ad nocendū instituitur. atq; hoc
ultimum propriè dicti Mendacij nomi-
ne autumant venire non pauci. Ex
mendacio duplex in specie extrellum
resultat. *Arrogantia* sive *mendax affirma-*
ti in excessu; in defectu *mendax nega-*
tio, sive *dissimulatio*. *Ista* plus nobis ar-
rogamus & tribuimus quam revera
possidemus. Quæ cum ad alios

refertur dicitur *Adulatio*: Hac quæ nobis vel aliis reipsa insunt, vel negamus nimis extenuamus. *Dissimulatores* autem hi duorum sunt generum, quidam enim magna dissimulant, & alijs incognita, ne videantur $\alpha\lambda\alpha\zeta\sigma\omega\tau\epsilon\varsigma$ sive arrogantes, alij etiam minima & aperi-
tissima, ut videantur *Modesti*. Qui me-
rito *Veteratores* vocantur & *versipelles*,
prioribus multo detortores. Ex duo-
bus his extremis tolerabilior est *dissi-
mulatio*, sive *εἰρούσια*, utpote quæ majo-
ri affinitate juncta est medio, minusq;
noxia in conversatione jucunda. Quan-
quam aperti & candidi homines mo-
lestissimè sanè interdum feramus in
conversatione dissimulatores.

Ad IV.

Comitas à Philosopho *φιλία* ap-
pellatur, quod amicitiae maxime affinis
sit, & eandem facilime conciliet occu-
pata præcipūc circa sermonem, gestus acti-
ones omneq; id, quod in convictu &
conversatione civili & quotidiana
quemq; solet delectare vel molestiam

creare, Est ergo viri humani & comis
sic vivere cum alijs, ut servata tamen
gravitate & honestate, consuetudo ejus
grata sit & jucunda, ea dicat & faciet
quæ alios non offendunt, ita tamen ut
si quid turpe committatur non dissimu-
let, imò si opus est cum moderatione
reprehendat. Cum primis, ut in omni
virtute rationem habeat circumstantia-
rum & personæ, cum qua conversatur.
Cum *superioribus* quippe reverenter &
modeste communicet: cum æqualibus
amice & libere: cum inferiorib⁹ blande
& graviter sine ullius offensione nisi ad
exemplum medicorum qui restituen-
dæ sanitatis causa in postetum leviter
modicū quendam dolorem infligunt,
ita ille magnæ voluptatis causa in po-
sterum leviter offendet. Meliora enim
ut ait *Psaltes*, *Vulnera diligentis quam o-*
scula blandientis.

Ad V.

Huic virtuti hostis existit ab una
parte omnis assentatorum & adulato-
rum natio; ab altera contentiosorum

& morositatis improbitas. Iſti omnia laudant, ut placeant & lucentur; hi contra nemini placere cupiunt. Cuncta aliorum etiam re&e facta improbant & fuggillant. Ubivis instar Demæ Menedemi torvum tuentur & nescio quid monstri alere conservant.

Ad VI.

Urbanitatis sive *εὐρηκτικής* obiectum Ludi sunt & joci. In quibus laudabilem tenere mediocritatem, & ut medicina inde & relaxatio petatur ad res serias promptius obeundas non cuiusvis obvium est. Est autem teste Cicerone in off: duplex jocandi genus unum illiberale, petulans, flagitosum, obscenum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum facetum. Iſtud probum decet virum, hoc ad scurras relegandum est. Pulchre Melander.

Qui quandoq[ue] sales non immiscere facetos

Novit, is indignus qui voret ore salem.

Quisve recensentem non vult audire lepores

Est lepus, atq[ue] animi non habet ille salem.

Musæ-

Musica vita Deo grata est hominumq; cater-
væ

Exeat è, mundo, qui joca docta fugit.

Est igitur Urbani viri festivi non coacte nec affectate, sed prompte, & cum naturali quadam gratiâ facetias spargere non nimis frequenter nequè omnibus indiscrete sed habita ratione temporis loci, personarum, &c Evitet Sal Momi, Scommata & dicteria alios perstringentia, sive in contemptum adduentia: retineat Sal Mercurij, utatur facetijs lepidis doctis & argutis ad ædificationem & jucunditatem. Qui vero serendis jocis haud idoneus est, iis potius abstineat, & audiendo & tolerando sales, gloriam venetur festivitatis.

Ad VII.

Illota sunt & fætida scurrarum ora unde sermones putridi, sales & joci ob-scæni, quos miscent satis in tempestivè nulla contemplatione pietatis, honestatis & circumstantiarum aliarū. Ex horum genere & parasiti existunt, genus hominum supra modum servile, de qui-

bus Comici multa. Agrestes contra
sunt rigidi & insulti catones, qui nec
ipsi recte jocari possunt nec alios civi-
liter jocantes audire sustinent sine sto-
macho. Quales in congressibus multi
& convivijs instar lapidis & truncis,
magis muti quam pisces, verbulo vero
taeti instar *Davi Terentiani* omnia tur-
bando miscent tumultibus.

QUÆSTIONES.

I. An cum omnibus promiscuè
etiam improbis & infidelibus
conversari & familiaritatem
fovere licitum sit?

R. Si votis agendum esset quis aliud
optaret ex monito ipsius *Apostoli* qui
vult ut pacem sed emur cum omnibus, in pa-
ce viventes cum omnibus sed quia mun-
dus in maligno positus impietati indu-
get & improbitati, vix *Ethica conver-*
satio quæ in virtute fundatur inter o-
mnes consistere potest. Multo minus
spiritualis Ecclesiastica interna, qua o-
mnes

mnes verè pij & Christiani in unitate
fidei & spiritus copulatur, inter paga-
nos & Christianos, aliosq; diversa &
pugnantis fidei in fundamentalibus re-
ligionis articulis tolerari. Quanquam
quoad *Conversationem Politicam*, quæ
respicit ea quæ sunt juris Gentium, ut-
pote, *Contractus, commercia, obligationes*
&c. Aliqua communicatio necessaria
sit, nec prohibita, modo non sine cau-
tione achibeatur. *Oeconomica* vero &
Scholastica familiaritas, cum infidelibus
periculosa satis, imo noxia non raro,
uti hæc prolixius alii disceptant.

2. An teneamur semper & omni
loco vera dicere? Neg:

Est enim Veritatis manifestatio,
non raro intempestiva, adeoq; jure oc-
cultari potest, sine lassione Dei & con-
scientiæ, sine scandalo & proximi in-
commodo. *In Religionis quidem negotio*,
ubi ritè, præsertim à Magistratu inter-
rogati, reddere rationem nostræ fidei

B §

tene-

tenemur, absq; ulla tergiversatione &
dissimulatione ad mandatū Salvatoris
& Apostoli Matt. 10.32.1. Pet. 3: ver: 15. Ve-
rum extra hunc casum prudentis non
est vera confessione non necessarijs se
objicere periculis & crudelitati Tyrann-
icæ exponere. Sicuti nec iñocentem
ad supplicia quæsitum prodere conve-
nit, proditio quippe non minus malum
quam mendacium. Iustis præterea de
causis necessarium est silentium, & ve-
ritatis reticentia, utpote cum nulla nos
obligatio astringat ad veri pronuncia-
tionem, potius ad ejusdem occultatio-
nem per leges taciturnitatis & consci-
entiæ merito ducimur, & absq; ulla re-
prehensione.

3. Quandoquidem veritatem
interdum prudenter dissimula-
re possimus & reticere, licebit-
ne ergo eandem negare, sive
mendacium proferre? Neg:
Omp̄e quippe mendacium est pec-
catum, non tantum ex prohibitione divina
quæ

quæ generalis est, & omne passim
damnat mendacium. Ecclesiastes 7.14:
Noli velle mentiri omne mendacium. Psal. 5.
7. perdes omnes qui loquuntur mendacium.
Ephesians 4: v. 25. deponentes mendacium loqui-
mini veritatem cum proximo &c. Sed &
intrinsecè & sua natura non secus ac ad-
ulterium, blasphemia malum est, tri-
plicem namq; continet deformitatem
rectæ rationi repugnantem. *Abusum*
nempe sermonis, deceptione proximi & viola-
tionem charitatis, & amicitiae humanae. Qui
enim meatitur primum quidem abuti-
tur sermone; Nā usus lingvæ & sermo-
nis ideo datus est homini, ut animi sens-
sa & conceptus qui aliquem latent alijs
prudenter & verè, si modo exprimen-
da sunt manifestet, atq; ad hoc obliga-
tus est homo homini in societate Civili,
quam tamen obligationem tollit inq;
mendacium. Unde sequitur deceptio
proximi qui putat te id sentire quod
verba à te prolata sonant, à quo tamen
toto animo abhorres. Atq; sic ex men-
te Salomonis Proverbs 13. 5. *Iustus abominatio-*

es, hinc quantum in te est, naturale jus
amicitiae nefariè violare non vereris,
facis enim alteri quod tibi non vis fieri,
quod pugnat cum fundamento juris &
æquitatis, Accedit memorabile di-
ctum Philosophi: *Omne mendacium per
se improbum est & fugiendum.* Quibus
omnibus & hoc addi potest quod men-
dacio nobis ipsis fidem omnem dero-
gemus, hoc enim lucratur mendax, ut
dum vera etiam loquitur fidem tamen
cuiquam facile non facit, svadet qui-
dem, sed vix persuadet. Qui enim se-
mel fines veracitatis transgressus est,
postea sit mendacior, ut istud de vere-
cundia, paulo immutatum hic usur-
pare liceat.

4. Quorū vero mendacium
vulgo officiosum quod ad con-
servandam vitam, pudicitiam,
famam, sanitatem &c. uti so-
lent homines nonne id veniam
meretur & virtutis nomine cen-
sendum est. ? R.

Dubia sat est quæstio in qua decidenda
est. neq; inter se se conveniunt nec sibi
ipsis satisfacere videntur, ut evolventi
corum scripta apparet. Nos judicium
sequuti Viri judicioissimi & incompa-
rabilis, D. D. Mich: Gyllenstålpe ita de-
cernimus: *Mendacia officiosa, aut mendacia*
non sunt strictè & propriè, aut ab omni labe
& vitio immunia non sunt. Rationem ad-
dimus hanc. Si namque officiosum hoc
mendacium sumatur pro tempora-
mento ad veritatem & prudentiam, ut
idem sit ac *non dicere omne verum*, vel
non dicere illis quibus non obligaris,
atque adeo diversitas quædam occurrat
veritatis apertæ, non pugna & contrarietas
haud difficulter à vitio absolvit potest.
Quo etiam referri meretur illud, cum
vox aliqua aut sermonis complexio est
πολύσημος, sive ex usu vulgi, sive ex
artis consuetudine, sive ex figura ali-
qua intelligibili, tunc si animi concept⁹
uni istarum significationum congruat,
non admitti mendacium, etiam si pute-
tur is qui audit in aliam partem id ac-
ceptu-

cepturus, ut id judiciose exponit *Grotius lib. 3, de jure pacis & beli*: Si v., officium mendacium ex voce & notatione aestimetur & pro contrario ipsius veritatis, quando id quod aperte falsum est scientes proloquimur & ut alios fallamus, boni sive publici sive privati causa, probari per omnia haudquaquam potest, quocunq; id colore excusare continentur ejus Patroni. Sicut enim virtus licita est & concessa, ita vitium eidem oppositum iehonestum & dannandum. Nec finis bonus & intentio canonizare actionem in se vitiosam valet. *Conum enim ex integra causa est, malum autem ex singulis defectibus teste Dionysio.* Ad exempla ex sacris de prompta reponi potest in genere illud *Iobi. 15. Numquid Deus indiget mendacio nostro.* Et Augustini, cum de scriptura sacramentiendi proponuntur exempla, aut mendacia non sunt, sed putantur esse, dum non intelliguntur, aut si mendacia sunt, imitanda non sunt, quia justa esse non possunt.

5. Estne omnis simulatio mendacium & consequenter vitirosa? Neg.

Est quippe simulatio quædam cum mendacio non conjuncta, ut si quis dicat se minus habere quam habet, non peccat, illud namq; minus à majore continetur. Solent præterea distinguere inter Mendacium & simulationem, illud in verbis sive signis ejusmodi quæ natura vel ex instituto aliquid significat cum obligatione mutua consistere ajunt: Hanc in factis & rebus quibus ita uti liceat, quamvis prævideamus futurū ut inde alij falsam hauriat opinionem. Atq; hoc trahunt exempla ipsius salvatoris Luc. 24. Speciem præferentis ituri longius. & Iosvæ in expugnatione urbis Hai fugam ficte adornantis Ios. 2. Eodem referunt actus eorum qui hostium armis signis, vestibus, velis usi passim leguntur, quæ omnia ejus sunt generis ut à quovis pro arbitrio etiam contra consuetudinem usurpari possint, ut differit Grotius. Sed alij vicissim boni commatis esse hoc scri-

men

men haud judicant, ut sit, scrupulo sè
quidem hic adeo à multis disquiritur
hoc de negotio, sed dum ad praxin ven-
tum est vix sibi imperare poslunt, ita
vivendum esse. Nec insuper ignotum
est illud decretum Politicorum, strata-
gemata in bello licet adhiberi posse,
quæ profecto ab omni simulatione
non videntur semper immunita.

6. Quid de reservationibus & mentalib⁹ restrictionib⁹ Ponti- ficiorum existimandum est? R,

Mera sunt mendacia & fraudes ad
pallienda sceleris & eludendos judices
aliosq; instituta & comparata, Reus e-
nīm legitimè interrogatus de flagitio
ā se commisso tenetur veritatem mani-
festare, non falsitatem proferre & aper-
tum mendacium quod committit dum
ad quæstionem & interrogationem al-
terius: *fecisse homicidium*, Respondet,
Non feci, cum hac mentali reservations
non feci ut tibi dicam, vel non commisi ho-
micidium Romæ, vel aliud quid: hoc aliud
quid

quid est quam ore aliud proferre, aliud
sub pe~~ce~~ore conditum habere. Viti-
um adeo execrandum, ut etiam senio-
res Jesuuitæ istud merito eant profli-
gatum.

7. An mentiri & mendacium
dicere coincidunt planè? Neg:

Istud videtur *habitum* magis indica-
re *hoc actum* vitiosum, qui mentitur
contra mentem suam dicit & alium
cupid fallere qui vero loquitur menda-
cium sive falsum (Solent namq; hæc
indifferenter à bonis authoribus usur-
pari) non intendit alium fallere, sed i-
pse fallitor, ut habet Augustinus, dum
verum esse putat quod tam falsum est.
Hinc Paradoxon: Potest aliquis verum
dicere & tamen mentiri, & potest quis
mendacium proferre sive falsum & ta-
men non mentiri. Ex Nigidij tamen
monito, *Vir bonus præstare debet ne menti-
atur*, prudens ne dicat mendacium.

8. An Virum gravem & probum
deceat ambiguis uti sermo-
nibus?

8. In ludicris ad delectandum & docendum nonnunquam sine vitio adhiberi possunt; in re vero seria & gravi eludere quicquam ambiguitatibus & amphiboliis ad fallendos simplices, hoc demum enorme facinus est, & homini ne maximè indignum, de quo merito illud Lyrici usurpes

-- *Hic niger est hunc tu Romane caveto.*

9. An Parabolæ, Apologi, Ironiæ. Tropi & Hyperbolicae locutiones, in mendaciorum censum sunt referenda? N.

In his enim τοιχηρον non observandum, verum Διάβολος, Nec ulla hic fallendi intentio, Sed potius cum delectatione quadam docendi & informandi. Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci, Iamina hic existunt, colores, flosculiq; & Schemata Orationis non notio aliqua falsi.

10. Quid est juramentum & an jurare licitum? R.

Quia,

Quia suprema veritatis confirmatione est juramentum, recte atque ordine nos facturos putemus si pauca de eo attigerimus. Est autem juramentum invocatio ipsius Dei, qua petimus ut sit testis nostrae, asseverationis & puniat fallentem. Jurare omnino licebit ubi agitur de gloria Dei de salute Reipubl: proximi & nostra, in judicio ubi humana probatio cessat & aliter veritas haberi non possit. Idque Exemplis ipsius Dei & sanctorum satis probari posse dubium non est.

II. Sed si Quis Latroni jurando promiserit pecuniam pro redemptione vitae, Anne ad servandum obstrictus est per conscientiam & honestatem? Aff.

Est enim de re licita & possibili juramentum, quod violare quis sine scelere non potest. Actio insuper jurantis spontanea absolute nec adversa bonis moribus & verbo Dei ideoque servanda, exemplo Iosuae qui a Gibeonitis

deceptus fidem tamen servare voluit; &
Zedechiae qui ob vjolatum pactum quod
metu periculi cum Nebuchodonosore
pepigerat graviter punitus est.

12. An pugnet cum humanitate
& officio viri comis reprehendere nonnunquam amicos? N.

Veri potius amici & sinceri hominis est amicum delinquentem admonere & modestè objurgare, licet hinc aliqua offensio videatur metuenda, præsertim ab imprudentibus & pertinacibus; boni sine dubio istud Psalmis Psal. 141. 5. Laudant & magnificiunt.
*percutiat me justus placide & objurget me,
hoc erit oleum capitis ad Caput meum.*

13. Quid de ludis scenicis sentiendum possuntne citra læsionem honestatis usurpari?

R. Ludi scenici (sicut & choreæ de quibus in disputatione de Temperantia actum) si rite informantur & bono fine ad honestam scil: recreationem & utilitatem tum agentium tum spectatorum

rum merito probandi sunt, Adiaphoræ
quippe sunt quæ ex ratione finis præcis,
pùè stimantur. *Uſus* habet laudem Cri-
mēn abusus habet, ut sonat vulgatum.
Adsumt hic vivæ quasi representatio-
nes virtutum & vitiorum, atq; adeo in-
centiva honestatis, à turpitudine de-
hortamenta, cofulunt memoriæ, fir-
mant judicium linguam informant,
mores, gestus, & totius corporis habi-
tum ad civilitatem componunt.

14. An quis jocari possit honeste obiiciendo vitia nationum?

¶ Quanquam sint qui adeo arcta
juncti sunt necessitudine ut ex ejusmo-
di facetijs iis non excandescant, Rara ta-
men, quia hæc est & albo rarer corvo
familiaritas, præstabit sane omisso ejus-
modi jocandi genere, mordaci jucun-
dioribus operam dare salibus, præser-
tim cum speciem habeat detractionis
& famæ alicujus saltem per obliquum
illudendi, quod boni viri non esse qui-
vis facilè intelligit: sed de his satis. Co-
ronidis loco adiicienda sunt de amicitia.

COROLLARIA.

1. Amicitia est benevolentia quorundam mutua non latens.
2. Estq; perfecta sive honesta quæ virtutem respicit & proborum est assecla, vel imperfecta, quæ vel ad jucunditatem omnia refert vel ad utilitatem.
3. Vera & perfecta amicitia rara est.
4. πολυφίλια res est ardua & difficilis.
5. Scitè ut omnia seneca? coagulum amicitiæ est convivium cum bonis.
6. Certissimus index amicorum sive veræ & non fucatae amicitiae calamitas & status mutatio.
7. Amicitiae est monere & monerunde præclara ista vox Phocionis.

non poteris me amico uti & af-
fentare.

8. Pestis veræ amicitiae est suspicio &
diffidentia quæ & hanc dilexitat vo-
cem; ama ut aliquando osurus.

9. Verè Tullius : disparest mores di-
sparia sequuntur studia quo-
rum dissimilitudo dissociat ac
nimos.

10. In veram amicitiam iniquum est
judicium: Amici fures sunt tem-
poris.

11. Pessimum genus hominum qui
verba gestant,

12. Inimicus sive adversarius duplex
magister.

Ergo

- - - - si novisti rectius istis
Candidus imperti si non his
utere mecum. Atque tantum de
pra-

Practicæ Philosophiæ parte gene-
rali quam universam certis dis-
putationibus septis inclusam per
præcepta succincta dilucidasque
commentationes cum controver-
sis selectioribus Eruditorum o-
culis censuræque subiicere libuit.
Quod meum institutum si proba-
ri bonis sensero, licebit & in alijs,
mitiora si fuerint fata, pari ratio-
ne progredi & studiosæ pubis
commodis pro virili velificar.

VnI Deo LaVs VlrtVs gloriq Ve
NobIs paX Vsq Ve, & In æternVm

M Ansvetudo tibi cordi est, mansuetus & ipse es
ISAACE Aonij, portio clara chori !
Mansuetus mancas monitori, me meditante,
MerceS MANSVETUM magnificetq; MEUM
Sympatriotam syncerum , sobolemq; sacrarum
Sicelidum ; sapias spes speciosa salem.

Politissimo Dn, Respondenti, L: M: q:
gratulatur

Ericus Justander Aboens: